Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Daniel Heinsius

Danielis Heinsii Hymnus Jesu Christo, Unico Et Vero Dei Filio Belgice Conscriptus

Rostochi[i]: Pedanus, 1635

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730486389

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Daniel Heinsius,

Hymnus Jesu Christo conscriptus

germanice a Martino Opitz

latine a Martino Nesselio

Rostochii 1635.

C 9
2312

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730486389/phys_0001
DFG

bg-2312.
4°

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730486389/phys_0002
DFG

DANIELIS HEINSII

HYMNUS JESU CHRISTO, UNICO ET VERO DEI FILIO BELGICE CONSCRIPTUS,

postea Germanicè redditus

à

MARTINO OPITIO Silesio,

nunc Latinè

à

MARTINO NESSELIO Moravo.

ROSTOCHI,
Littéris JOACHIMI PEDANI, Acad. Ty.
ANNO M. DC. XXXV.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730486389/phys_0003
DFG

Ex Bibliotheca Academiae Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730486389/phys_0004
DFG

Nobilissimis, Præstantissimis, & Doctissimis Viris - Juvenibus,

Dn. NICOLAO ERNESTO von Platen/ Equiti Marchico.

Dn. FRIDERICO THEODORO à Capellen/ Equiti Marchico.

Dn. MAGNO Folger/ Hanoverâ-Brunsvicensi.

Dn. PHILIPPO CHRISTOPHORO à Thun/ Frr.

Dn. GEORGIO ANDREÆ } Eqq. Pom.

Dn. ABRAHAMO Keyser/ Susatensi VVestphalo.

Dn. CHRISTOPHORO STEPHANI Marchico.

Dn. CONSTANTINO Marstaller/Stetin-Pomerano.

Dn. JOHANNI FRIDERICO Chemnitz/ Stetin. Pom.

Dn. CONRADO Bolte/ Stralsund. Pomerano.

Dn. JACOBO Krey/ Colonienſi.

Dn. FRIDERICO Mahr/ Marchico.

Juris Utriusq; Studiosis ac Candidatis in almâ Rosarum solertissimis, Dnis Fautoribus, Promotoribus, ac Collegis omni studiorum & officiorum genere plurimum colendis

S. P. D.

MARTINUS NESSELIUS Moravus.

QVod Carmen nuperâ Natalitiorum Domini ac Salvatoris nostri JESU CHRISTI, festivitate, de Cathedrâ publicâ, in frequenti Auditorio recita-

citavi, id vobis, Nobiliss. Præstantiss. & Doctissimi Juvenes, ex antiquâ votorum formulâ L. M. q. dedico ac consecro. Nuncupationis hujus causas, si quis curiosâ indagine exquirit, admetiri sanè possum quamplurimas: inter reliquas tamen præcipua est, & in primis locuples, quam q. silentij velo ac sipario involvere minimè debeo gentium, quod nonnulli Vestrûm, mihi homini ignoto penitus ac ignobili, eum honorem habuêre, ut ad solum unicam q. Nobilissimorum Dnn. Nicolai & Johannis Zigota de Slupsko Frr. Eqq. Silesiorum, nec non eorundem Ephori Doctissimi, Dn. Matthiæ Kamensky commendationem, in societatem me Collegiorum Juridicorum adsciscere, ac omni benevolentiæ genere, ex eo tempore cumulatim afficere dignati fuerint: adeò hercules, ut maximam partem felicitatis meæ, quæ heic quidem Rostochi mihi obtigit, vobis, Ocelli Astrææ, & decora, secundum Deum Opt. Max. in solidum imputare, & acceptam ferre unicè, fas sit atque verum. Ergo igitur vitam mihi abesse malim, quàm inesse ἀχαριστίαν, & tantorum oblivionem meritorum. Cæteri, Divæ itidem Themidis insignes alumni ac mystæ, innatâ quadâm generosis ac egregiis mentibus benè de bonis merendi voluntate & promptitudine, non inferiora secuti, prolixè & prothymè faventiâ suâ ac singulari humanitate, citra ullum meum meritum, complexi me sunt hactenus atq. prosecuti. Quæ res imis infixa medullis cum hæreret, & ego me necessario gratitudinis vinculo obligatum illis esse, dictante fideliter conscientiâ, intelligerem, documento hoc atq. testimonio qualicunq. dedecus ac opprobrium hominis ὀλεσικάρπου ac frugiperdæ declinare & evitare posse arbitratus sum.

Esto itaq. hæc animi memoris ad Charitum aras vobis appensa tabella.

Porrò, quod laborem hunc concernit, præsagio ego, & oculis animi prævideo, fore, ut in temeritatis & ambitionis culpam re-

pre-

prehensionemque nonnullis incurrisse videar, quod scilicet, quæ Heinsius Heros, prodigium illud & monstrum hominis Belgicè, ex eoq; Opitrus, Suada illa Musarum ac Seiren, & quartæ quædam Gratia, Germanicè, ego, mortalis parum lautæ supellectilis, & accisæ doctrinæ, impetum ceperim & confidentiam, in Latium transferendi. Equidem non invitus fateor, aggressum esse me opus periculosæ plenum aleæ, & ambulâsse per sentes discalceatis pedibus; tàm impudenter tamen & sublàtè de lacertis meis ac robore sensisse, ut luctæ huic, Hercules ego atq; Hector, parem me esse ac sufficere crederem, hoc est quod constanter pernego. Destinavi ego hanc ærumnam mihi exantlandam, tùm ut in pietatis, quæ hoc in Carmine abundè inest, & cui, cùm aliàs semper, tùm hac præcipuè solemnitate studere ac operari debemus Christiani datâ industriâ, tùm ut in Poëtices exercitio, confirmatiorem me darem ac melior̃. Accedit, quod ab annis inde aliquot mos mihi est & consuetudo familiaris, argumento aliquo Poëtico, circa cunas dulcissimi Conservatoris nostri occupari. Qui color honestus profectò, ab omni me sequiori præsumptione & suspicione liberare ac absolvere potest. Quomodo res cunq; cadet, & quicquid malignitas Obtrectatorum culpabit, mihi pol ratio facti constat, & precium feciss̃e me operæ, omnes bonos auguror asseveraturos: nixus insuper & confirmatus honesto Viri Excellentiss. & quem Bibliothecam, ἔμψυχον & ambulantem jure dicere possis, Dn. Petri Lauremberg I. D. super hac re judicio. Cujus unius calculus ac suffragium amplissimum theatrum est, & cui placere, probarive, non mediocris est laudis & honoris particula. Si cubi elegantiam Duumvirùm illorum nervosam omninò ac robustam migrârim, nec satis graphicè ac luculenter expresserim, gnari talium ac compotes, quiq; fortean in non dissimili materiâ sese aliquando dederũt exercitatos veniam gratiamq; facti hujus ac prævaricationis facilè mihi impertientur. Calcare strictè aliena vestigia, facessit molestiam;

& HEINSIUS aquila est in nubibus: Reliquos, qui ad delicias Musarum & lepores, tanquam ad Seirenum cantilenas, surdas adferunt auriculas, fastidiosè nauseant, frontem corrugant, contristantque, & qui novissimè ad Indiam & Arabiam, ad Pharmacopolas, ad aromatum & piperis emptores, Carminum libros mittere malunt, quàm legere, πολλὰ κλαίειν, ἢ καλὸν χαίρειν κελεύειν. De Vobis, ô Ornamenta Reipublicæ quondam & Columina, flos nunc ac medulla pubis Academicæ, pulcherrima me spes fovet, ut lucubrationem hanc, nomini Vestro inscriptam, ob Poësin, cui cum sacratissimo Juris studio maxima intercedit necessitudo & affinitas, serenâ fronte accipiatis, meq; porrò favore Vestro ac humanitate prosequamini; qui summâ enitar ope, ut quicquid in me est ingenii, si modò quicquam ejus est, id omne honori & laudi Vestræ apud bonos & doctos quosque, imò, nî prorsus conatus meos mala aliqua scæva, quod abominor, ex transverso interturbat, nî Apollo alumnum suum penitus destituit, apud seram etiam posteritatem, unicè militare ac velificare experiamini; néve in rimosum ac pertusum dolium affectus Vestri suavissimum nectar effundere unquam videamini. Valete & florete.

Dabam è Muséo meo Rostochi 25 Januarii, Anno Christiano cIↃ IↃ c XXXV.

PE-

PETRUS LAUREMBERG
Phil. & Med. D. & Prof.

AD RECITATIONEM CARMINIS NATALITII,

à MARTINO OPITIO Germanicè facti,
à MARTINO NESSELIO Latinè conscripti,

Omnes Academiæ Cives cras horâ 9. amanter invitat.

NUmerosa est benefactorum copia, quibus nos florentes reddidit clementissimus Servator noster, quæ meritò omnes & singuli tabulis cordium nostrorum inscribere, conjunctis vocibus explicare, perpetuisq; prædicationum buccinis extollere debemus. Etenim, quò major est Majestas ejus, cui hæc pro servitio præconia debentur, quò latiùs gratiæ illius & benignitatis in nos fenestræ patent, eò majore cultu & gloriâ eundem amplecti decet. Græci, Antistites illi humanæ sapientiæ, Alexandrum Magnum immortalem fecerunt ante fata ipsius, divinisque mactârunt honoribus, quod invictos exercitus excidione sæpiùs fregisset, innumeras gentes lupato victricis dextræ coërcuisset, flumina nulli mortalium trajecta navigasset, & totum ferè orbem domari posse, Macedonibus suis demonstrasset: Non dispari ratione in celebritate fuit Semiramis Babyloniis, Persis Cyrus, Romanis Scipiones, Mucius, Curtius, aliiq; heroës aliis, quos tanquam humanos Joves suos, summis reverentiæ laudumque obsequiis sunt prosecuti. Quod si hæc documen-

menta contueri, èque beneficiis metiri velimus gloriæ magnitudinem recens nato JESU nostro exhibendam, jam protenus videbimus, ad id efficiendum, emortuas nos habere operas, & satius esse silentii sigillo obsignare loquelam nostram. Unicum hoc solenne tempus Natalitium Redemptoris nostri, argumenta & rationes in hanc rem abundanter suppeditabit, in quo, quemadmodum jam ante priora secula, in parvâ sphærâ vastissimum cœlum adumbravit, &

Jura poli, rerumq́ fidem, legesq́ virorum
Ille Syracusius transtulit arte senex,

Ita tota Epitome proponitur divinæ bonitatis, cujus radii in hoc solo ita lucent, ut nescio an ullibi clariùs sint conspiciendi. Natus est Servator noster, ne nos denatos æternæ mortis calamitas occuparet; Natus est infans, ut nos infantes sub Pædagogo legis & maledictionis miserè afflictos, in adolescentiam virilemque libertatem collocaret; Natus ab homine, ut Deum, antea inimicum, jam placatum homini ostenderet; Natus nocte, ne perpetua caligo nos pessundaret; Natus in vili agrestique stabulo, ut nos quondam susciperet glorioſæ Deitatis regium tribunal, domus pacis, habitatio beatitudinis, &

Portus æternâ placidus quiete,
Nullus hunc terror, nec impotens
Procella fortunæ movet
Aut iniqui flamma Tonantis.

Hisce omnibus beneficiis, suggestus sacrarum ædium, subsellia omnia, omnia adyta hisce diebus intumescunt, in iisque extollendis de industriâ laborant. Quibus etiam ceu stimulis excitatus est ex gente literatâ non

infimæ notæ Ornatissimus Vir-Juvenis MARTINUS NESSELIUS VVeiskirchâ-Moravus, Jurisprudentiæ, aliisque elegantioris culturæ studiis addictissimus. Hic ipse sedulitatem suam dicavit piis meditationibus, & erudito Carmine ex MARTINI OPITII Germanico in Latinum sermonem translato, pueri JESU naturam, nativitatem, vitam, benefacta compiè delineavit. Eo ipso sanè, quin honorem sit promeritus, nemo negaverit. Apud Plutarchum de Isid. & Osir. Lysippus pictorem Apellem reprehendit, quòd imaginem Alexandri Magni fulmen manu tenentem, pinxisset: Hujusmodi reprehensionem neutiquam incurrit hic NESSELIUS, qui non picturâ, sed vivâ loquelâ, non Alexandrum Magnum, sed verum Deum & hominem JESUM CHRISTUM, non fulmen tenentem, sed mille benefactorum struices, amorem & benignitatem plenis manipulis, ambabus manibus ferentem proponit. Constituit autem hic ipse ad horam 9. crastinam recitare Carmen suum in Auditorio majori. Ad quod benevolè audiendum, ut omnes studiis faventes conveniant, officiosè & amanter rogo.

P. P. 28. Decembr. Anno 1634.

Ad

Literatißimum Virum-Juvenem

Dn. MARTINUM NESSELIUM,

L. L. Studioſum, Amicum ſuum ſingulariter dilectum.

SUnt, qui ſemideûm fortiſſima geſta Virorum
Numine Calliopes, æterno carmine cantant.
Sive lubet Juvenis Pellæi noſcere mentem
Non fractam ærumnis, nullóq; labore ſubactam;
Seu Curium vitâ frugali, aut carcere triſti
Regulus ut clauſus fuerit, ſeu Mucium in igne;
Quadrupedem aut celeres tranantem Tibridos undas,
Clælia virgo, tuum. magno heîc conamine ſudant,
Verſibus atq; ſuis Veneres, pigmenta, lepores
Addentes, cupiunt hæc inclareſcere laude:
Sed non omne ferunt punctum, non alta decoris
Mœnia conſcendunt penitùs. Nam nomen amicum
Occupat is melius præclaros inter, Honoris,
Cives, cui facilis fœcunda faventia Muſæ
Largiter indulget formoſo pingere verſu
Quæ tua, CHRISTE DEUS Natura; immenſus ab ævo
Qui voluiſti homines, Cocyti educere ſtagno,
Et Libertatis lauro florente beare.
NESSELIUS Themidos cultor ſoboleſq; Meduſæi
Obſequioſa chori, dum ſecum hæc mente volutat,
Et meditata piè ſuper his in luce reponit,
Laude viget meritâ, digno & mactatur honore.

Hinc

Hinc nuper docto fundentem Carmen ab ore,
Perciperent ROSEI cum pulpita clara Lycæi,
Unica Vox erat hæc: Tulit hic suffragia cuncta.
Nunc etiam gentes alio quæ sole calescunt,
NESSELIUM noscent absentem, & munera mentis
Laudabunt. Hederæ sibi talia præmia poscunt.

lubens scripsit

BARTHOLDUS GERDES
Wismar.

LECTOR BENEVOLE

COmmone te faciendum putavi, ut si hac in meâ versione aliquid tibi obvenerit, quod non satis ac per omnia cum Religionis nostræ normâ congruere videatur, de eo me excusatum & inculpatum habeas; ut, cui institutum & propositum unicè fuerit, Hymnum non corrigere, sed verò transferre tantum, ac Latinitate donare: nec illud eleganter sanè potuisset fieri, cum insicetum sit facinus, & inverecundum specimen, in alieno territorio jus dicere ac exercere velle. Vale, & tenuitatem meam non aspernare.

Exordium.

FErt animus, laudesque tuas, cunasque tenellas
Atque Dei, atque hominis, benefactaq; plurima versu
Dicere, Magne Puer. Tu, Patri æquæva propago
Æterno, spes atque salus mortalibus ægris,
Huc ades, & nostris clemens allabere cœptis.
Nil sine Te mens nostra potest, nil lingua; vacillat
Te sine nostra ratis, scopulisque illisa sub undis
Mergitur Oceano; Tu carbasa dirige nostra
Innocuo flatu, Zephyrisque faventibus imple.
Tu verò, quem Palladii censura Senatûs
Sustulit in fasces, & onus RECTORIS honestum,
Magnificum decus Astrææ; Tuque Ordo Verende,
Qui sacra divinis adyris oracula pandis,
Hæreticasque acies calamo contundis & ore;
Vos etiam Themidis quos splendor honestat & æquum,
Per quos Justiciæ viget intemerata venustas;
Et Vos, edocti celerem protollere vitam
Utilibus succis, ad opemque potentibus herbis;
Nec non Philosophæ præstabilis ordo Coronæ;
Tuque Juventutis Flos lectior, inclyta charæ
Spes Patriæ, præbete aures in Carmen apertas,
Et me dicentem vestri juvet aura favoris.
Sic sibi de nobis promittat quisque fidele
Obsequium, parilemque animi indulgentis honorem.

HT-

HYMNUS
JESU CHRISTO FILIO DEI VERO ET UNICO CONSCRIPTUS.

ANte catenato fluerent quàm tempora lapsu,
SERMO fuit, cum JHOVA æquè, genitusque
JEHOVÆ est,
Ipse JEHOVA etiã & pariter cum Patre JEHOVA
Esse æquale habuit, NATUS tamen: æqua potestas,
Majestasque eadem cui cum Patre; SERMO Parentis,
CONSILIUMq; etiam: cumque ardua mœnia cœli
Constabilirentur, caperetque novitius undas
Oceanus, stellæque locum, fuit ille Creator
Cunctorum; nihil est quod non & struxerit ipse.
Ipse erat auspicium, & princeps rerum omnium origo;
Ipse in origine erat, sociâque ope cuncta creabat
Omnipotens: Lux vera ille ipse erat; illa profundas
In tenebras Lux quæ venit, noctisque malignam
Dispulit umbram. Ipse ex propriâ virtute, dolorum
Hanc vallem invisit, miserique ergastula mundi;
Aptandoque sibi induvias, & carnea membra
Corporis humani, nos dirâ à morte redemit.
Atque adeò DEUS est, humana quod illa figura
Schemaq;, tantum à vi existit Deitatis, & ipsam
Se quoque designat, venturam & destinat orbi.
SERMO hic verus homo factus, verusque sub auras
Natus HOMO virtute suâ est; compagine carnis

Præfragili, imbelliqúe amicíri elegit, & artus
Sumere mortales, ſine cum compagine carnis
Præfragili imbelliqúe eſſet, ſineqúe artubus arctis.
Has ille attegias, ſedesqúe has ille caducas,
Verus adhuc tantum exiſtens DEUS, arbiter ipſe,
Conſtituit colere, ante Homo quàm miſerabilis eſſet;
Ante Homines quàm infauſti eſſent, decrevit ab arce
Delabi ipſe ſuâ, noſtriqúe, ignobile, cauſâ,
Ipſe opifex, opus eſſe ſuum, fieriqúe, Creator
Ipſe, Creatura, & Plaſtes, lacrymabile Plaſma.
Atque ita ab Hoc, qui ſemper erat, quiqúe anteit annos,
CONDITIO MORTALIS habet primordia, namque
Ille Patris fuerat Sapientia, vitaqúe rerum
Cunctarum, queis vita fuit; dedit omnibus ille
Eſſe ſuum, curſumqúe ſuum, ſuaqúe indolis arma:
Cum nondum fuerat rota lucida condita Solis,
Et necdum fuerat rota lucida condita Lunæ,
Illi Oculi mundi, Coryphæi temporis illi;
Ante Orbi fuerat quàm cognitus Orbis, & ante
Quam fuerant orbi quoque cognita noxqúe dieſqúe;
Anteqúe quàm foret ipſe, erat amborum una voluntas,
Et PATRIS & GNATI: GNATUM æquat plena poteſtas
Cum Patre: ubiq; Pater, Gnatus quoq; ubiq;. character
Ille Patris, Gnatusqúe placens, atque una voluptas,
Ipſe DEUS, DEUS æternus. Pater attamen etſi
Tempore non prior extiterit, mirabile Gnato
Principium eſt, quando Pater eſt: eſt Filius iſte
Ex Patre, non poſt Patrem. O quis myſteria tanta,
O quis adumbrabit, veriſque coloribus illa
Exprimet, atque oculis, ut ſunt, ſpectanda locabit?
Cerne tamen nitidi radios age Solis; iidem
Non Solem anticipant ſtricturarum igne, nec uſquam

Poſt

Póst Solem apparent, cum Sole, ex Soleque fulgent
Auricomâ flammâ. ratio heic par militat æquè.
Sed cur noſtra ratis tàm altum petit? oro, ſinamus,
Quod tutum eſt petere, & vicinum lambere littus,
Quò declinemus ſcopulos, vaſtamque Charybdin;
Infrenis ſonipes, animoſum pectus, & acre,
Cuî vires, roburque viget, qui naribus ignem
Collectum volvit, ſi ſe experiatur in arvis,
Vectorem in præſens conjecit ſæpe periclum.
Qui terræ excedunt tumido confinia greſſu,
Et cœli ſcrutantur opes, adyta abdita rerum
Veſtigando, in aquas ſine remigii arte feruntur
Incauti æquoreas, rectore excuſſa caterva.
Heic heic anchora habet præclari nominis uſum;
Heic prorâ jacienda venit. perit hercle phaſelus
Mortali, qui divini miracula ſenſus
Inconſultus adit, nec ſe metitur, ut æquum eſt.
Poſtquam purpureis redimitus floribus Hortus,
Ille voluptatis, plenus Paradiſus, amœnæ,
Delicii ille locus, ſedes dulciſſima rerum,
Ob culpam primævi hominis, GENITORIS ADAMI,
Prævalido clauſus, pulſis cultoribus, eſſet
Objice, defecit benedictio, & ingruit ira:
Tum ſe, noſque ſuam dedit in diſcrimina prolem,
In caſum horrendum, prorſus deſertus, egenus,
Nudus, inops, probitati hoſtis, pollutus, & æger,
Mutatus miſerè, fibris corruptus in imis.
Intra hominem, & cum homine infelix Mors naſcitur:
A ſe deſcivit, per ſe quoq; perditus ipſum eſt, (ipſe
Abſque Deo, per Adam: per ſe ſibi labitur ipſum,
Cumque Adâ, & per ſe, pœnam quoque portat Adami.
Ille tamen patriâ motus pietate JEHOVA

Ad-

Advortit miserans oculos, & pectora blanda
Prompsit in hunc hominem: nam cum vix tristibus au-
Tam graviter cecidisset iners, essetque futuri (sis
Spes nulla auxilii, venit, & promittit opimam
Rebus opem conclamatis, diræque ruinæ,
Solaturque ægrum, dictisque affatur amicis:
Parce metu, mea progenies, non perpete luctu,
Tuque, tuumque genus semper squalebitis: olim
Tempus erit, veniet cum tanti criminis ultor,
Virgineum Semen, cum magnis viribus hostem
Ibit in adversum, sceleratisque exuet armis
Serpentem antiquum, calce & caput obteret illi
Infesto prædoni animarum, adque orsa nefanda
Impulsori avido. Hoc pignus prænobile, & arrham,
Atque hunc thesaurum, quo non preciosior ullus,
Ipse memor sacro inclusit sub corde JEHOVA,
Munivitque adamante ipso, validisque sigillis.
In manibus Gnati, quicquid sperare licebat
Præsidii, fuerat. Gnato incumbebat, ut orbem
Eriperet Satanæ, Mortique, Orcique barathro.
Et cum tempestas illa exitiosa noceret
Diluvii horrendi, cumque essent omnia pontus:
Cum mare, cum tellus nullum discrimen haberent,
Cum nimborum undis pecudesque virique perirent,
Cum totum obruerent immania flumina mundum,
Cum stellas ipsas immensa licentia Nerei
Tangeret, hoc ligno super ille natabat in undis
Lamechides, claususque etiam intra lignea septa
Incolumi excessit vita, licet ariete crebro
Pulsaret latera, Oceani circumfluus humor,
Naviculæ; licet extra hominum solatia solus
Esset in orbe super, tamen intra Fœderis arcam.

Quod

Quod Tu post, ô magne hominum miserator, & autor,
Cum Patre Thariadâ pepigisti clariùs olim.
Ex illo tibi semper amor, tibi blanda voluptas,
Deliciumque ingens fuimus mortalia secla.
Laus bone JHOVA tibi, jam tum meditatio mentem,
Jam tùm operis subiit promissi maxima cura,
Jam tum irata Patris placâsti numina, Adami
In noxam sontis, qui zeli, acrisque furoris
Oceanum effudit; jam tum Emanuelis habebas
Pulchrum illud, lepidumque illud nomenq; decusque:
Pene tui oblitus cœli, oblitusque tremendâ
Majestate throni, in nostræ divortia sedis
Vilia venisti, terramque feracibus agris,
Undantemque bonis monstrâsti, adeoque dedisti
Thariadæ incolere, inque viâ comitatus euntem
Duxisti dextrâ per cuncta pericula tutum.
Ibat in ignotam terram pater ille fidelis,
Instructus tantum fidei dono. inde potentem,
Sustulit Isaâcum dilectâ ex conjuge, magnam,
Et sacram stirpem BENEDICTI SEMINIS illam,
RADICEMq; tibi electam. generatus ab isto
Prodiit Israël, Heros fortissimus ille,
Ille Heros, tecum qui non dubitavit inire
Certamen, prorsusque novâ concurrere pugnâ.
Ut Juvenis, quem torret amor, penitisque medullis
Macerat insolitâ flammâ, dulcique sagittâ,
Quærit, & absentem vestigat ubique puellam,
Quam si non cupidis ille usurpârit ocellis,
Ut voluit, votumque fuit, suspiria mœstus
Ingeminat, gemitusque trahens ex pectore multos,
Casum infelicem queritur; cor vapulat intus:
Illam seu fuscis nox tellurem induat umbris,

Seu redeunte die redeat labor actus in orbem,
Mente premens volvit, quôque it, comes ire laborat,
Custoditque avidus, nec ab illâ avellitur unquam,
Donec ei nuptum fuerit data, munus amoris.
Sic quoque Tu arsisti. Cum vitæ expleverat annos
Josephus, populusque tuus premeretur atroci
A Pharaone jugo, jam tùm intolerabile, eorum
Cervice, excussisti onus illud, & omne periclum
Longè amovisti, nubisque igniscque columnâ
Per loca duxisti deserta, atque insuper ipsos
Mirificè denos quater es tutatus in annos:
Omnem spem præter, populi tot millia duri
De petrâ potu saturans, deque aëre pane.
Quin etiam ante alias gentes, præque omnibus unam
Hanc complexus eras magno, ingentique favore:
Inque ejus corpus voluisti immergere pignus
Adventûs illud veri; quodque haut quoq; parvum est,
Quodque hodieque agitas ori externum indere fœdus,
Æquoreos etiam fluctus, vastumque profundum,
Muri instar suspendisti: stetit unda quiescens,
Et Jacobigenis ceu per loca sicca patebat
Transitus innocuus; nullum madefecit aquæ vis.
Impius at Pharao, curruque, equiteque sub undis
Interière; omnes fera suffocauit aquæ vis.
Post qui jura darent populo, qui legibus æquis
Hunc regerent, belloque simul pacique præessent,
Constituisti aliquos, tua qui diademata Reges
Sceptraque dilecti gererent; quos eminet inter
Maximus ille Heros, Isai genitore creatus,
Æternâ cujus sunt tempora vincta coronâ,
Hunc sequitur Salomon. varios per denique casus,
Captivum populum sævâ Babylone reduxti,
Perque Sacerdotis sapiens feliciter Esdræ
Consilium, armataque operas, constantiaque ausa

Hecheliæ ḡnati, Solymarum mœnia forti
Extruxti rediviva manu, ſedemq́ue dediſti
Extorri populo; atque iterum per amabilis Eſther
Dulce decus formæ, morum gratosq́ue lepores,
Penè interfectum revocaſti ad limina vitæ:
Sæpe brevi quod ſis noſtras venturus in oras
Cepêre indicium, veluti olim impulſus amore
Solò hominum decréſti. imperſcrutabile donec
Conſilium hoc tandem fuerit res ipſa ſecuta,
Ut Deus Iſraël rerum arbiter omnium & author
Figeret ipſe ſibi legem, quod languida turba
Nos ſumus, hoc fieri, utq; iſthac in ſimplice formâ
Contemptoq́ue habitu, mundi proſterneret hoſtem.
Natio caſta animarum, atque ætheris incola magni,
Uſque miniſteriis intenta fidelibus, adſtat,
Geſtitq́ue imperii mandata capeſſere: pulcher
Juſſa ſequens Gabriel tenues ſecat aëris oras
Remigio alarum, quà laudatiſſima gentis
Iſacidum veteris ſeſe diſpandit Idume,
Et Naſaram ingreditur, terræ Galilæidos urbem,
Heic ubi compoſuit Sponſa illa ter inclyta cœli
Spemq́ue laremq́ue ſuum, cui nuncia læta ferebat.
Illa Dei plenum pectus geſtabat, & almâ
Verbum ejus fœduſq́ue manu meditata tenebat.
Legatus tunc æthereus, præcoq́ue verendus
Conſtitit ante ipſam per iter ſublime profectus,
Non tritamq́ue viam, ſupremo à Principe miſſus,
Quem nemo prorſus, niſi ſpiritualiter unquam
Atque animi tantum cognoſcere lumine quivit,
Ut conſanguineus lethi ſopor, eſca quietis,
Cum mulcet ſolito languentia membra labore.
Sæpe repræſentans aliquid, nos ludit imago,
Excubias inter medios ſomnumq́ue, nec exit

Certa tamen visi facies, ipsíque per umbram,
Obscuram veluti, & nebulam, nos novimus atram,
Stare oculos nostros aliquid tantum ante videmus:
Sic Juvenem aligerum fortunatissima Virgo
Stare in conspectu propius videt, insciа rerum.
Olli flavus adhuc cœlesti rore capillus
Udus, & aëriâ penitus de nube madebat;
Lumina fulgebant astrorum imitata nitorem,
Inque genis & lac & purpura læta virebant
Miscelâ lepidâ, veluti cum tempore Phœbus
Exacto, atque operis lassus de more diurnis,
Præcipitem Oceani rubro lavit æquore currum,
Aut veluti ad primos, cum manè jugalibus, ortûs,
Exit, & illustrat radiis candentibus orbem.
Ergo salutatam verborum robore tali
Alloquitur, quæ, proh mirum! illi in viscera casta
Infudêre Deum, sic, ut mitissima Virgo
Jam mater, gnatum pareret, pia filia, Patrem.
Qui prius aurati fuerant quàm culmina cœli
Regnabat, qui limitibus tumida æquora certis
Adstrinxit, qui pulchrum opus hoc & nobile mundi
Fundavit pollente manu, quique omnibus omnem
Naturam, viresque dedit, venit Hospes in illam:
Cujus sunt quæcunque vigent, quæcunque videntur,
Cui jocus est fulgur, qui fratribus imperat unus
Æoliis, hominum mentes qui fulmine terret,
Atque ornos, quercumque altam ab radicibus imis
Sublime expulsam insternit, qui more recepto
Non natus, genitus tamen est ante omnia secla:
Qui sine principio, sine fine est, quemque pavescens,
Inflexoque genu quantus patet orbis adorat:
Qui nubes calcat dominans, quique imperat astris,

Ingens

Ingens, atque expers quoq; nominis ille JEHOVA;
Tempore se cludit; cludit se tempore, & ad nos
Advenit, ancillæque utero famulantis inhærens
Concipitur, proditque leves in luminis auras.
Illa vigil speratque suam & desiderat horam
Parturiens, lætæ propior, propiorque pudenti,
Demirata Deum fieri Carnemque, suumque
Et Gnatum, & Sponsum. novies jam menstrua virgo
Bigis vecta, suum reparârat cornibus orbem,
Virgo utero cum ferret onus. Regnator habenas
Imperii Augustus tenuit, duramque vetusti
Progeniem Judæ magnâ ditione tenebat.
Tum quoque, quò vireſque suas, & robora nôsset
Pacatum primus mundum censere jubebat.
Ergò professurus sua nomina, virgine carâ
It comitante senex, faciens mandata Josephus,
Parvula quà veteris pandunt se mœnia Bethles,
Heîc ubi per campos virides, per pascua læta,
Ignotus, penitusque latens inglorius olim
Lanigeras pecudes æstivâ fusus in herbâ
Pascebat gnatus Jessejus, donec Olympus
Illi pro famulante pedo, regalia sceptra,
Verticeque æternam concessit ferre coronam;
Heic ubi divino ille agitatus flamine quondam
Intra se accensus, non carmina pauca canebat
Nunc VENIENTE super, qui Rex, & Pastor ab ævo,
Ipse quoque humanam, nunc pro mortalibus ægris
Induit effigiem. Sic ergò tecta subibant,
Quæ petiêre diu. Jam Sol proclivis abibat
Gurgitem in Hesperium, potos unde ille remittit
Quottidiè mannos, cum Solstitialis amœnam
Abbreviat lucem furto Capricornus inulto.

Devenêre locos, pluviâ nivibuſque viâque
Largiter oppreſſi. præſertim Virgo, JEHOVÆ
Hoſpitium, in requiem ſpacium non grande petebat
Hoſpitii, multis incognita, tum quoque multis,
(Ut naturâ hominum eſt facilis ſuſpicio,) honore
Depreciata ſuo; ſpacium non repperit ullum:
In ſtabulum divertit inops, fundensque pudico
Corde preces, ſine nixu ullo, exoptabile in auras
Molliter edit onus, cœli terræque Monarcham,
Infantem tenerum. ſero tardeque JEHOVA
Advenit, adventum cujus pars maxima Patrum,
Aſſiduis olim votis ivêre petitum.
Terra Diis plena eſt, ſuperis herciſcitur orbis;
Accerſuntur opis; tribus eſt numeroſa Deorum,
Defectusque Dei tamen eſt. Neptunus in æquor
Sceptra tenet vaſtum. Dominus poſſedit Olympum
Juppiter. infernum Pluto deſcendit ad Orcum.
Heic cultus Pan curat oves, oviumque magiſtros.
Et dubitant, quo quiſque loco, quo quiſque favore,
Idolis, ligniſque ſuis mereatur haberi.
Nullo etiam miſeranda poteſt caligo colore
Depingi ipſorum. Feſto ſua Crimina ritu
Deliri celebrant, proprium celebrantque pudorem.
Bacchus enim vinoſa gula eſt, atque helluo turpis;
Diva Cypri meretrix; furti Cyllenius author.
Ille, poteſtatem quoque quem penes eſſe putabant,
Juppiter egregius, ſollers Venator, & Auceps
Formarum inſidioſus agit, cupiduſque potiri eſt.
Hinc, cœlo deſerto, in humum ſpurciſſimus infert
Clam Junone pedem, niveâ nunc tectus adulter
Fœdus avi, mentita gerens nunc cornua tauri.
Publicitus toto quæ caſtigantur ab orbe,

De

De queis nil fando unquam hominũ pervenit ad aures,
Quod violat Leges naturæ, hoc impia Roma,
Mente piâ, cultuque pio veneratur adorans.
Ædificant delubra Diis, & plurima festa
Indicunt, peraguntque avidè, quæ dicta risum
Irrisumque ferunt, quæque erubuisse decebat.
Quoque loci Romana infert vestigia virtus,
Quoque Urbis rerum dominæ penetravit in armis
Imperium, commigrat eò quoque cura sacrorum.
Consimilis, parilesque Dii, velut ipsa suorum
Affanias, nugasque habuit, gerrasque Deorum
Hellade ab insanâ. magnus Titana reliquit
Persa Deum, Latiisque Diis instruxerat aras.
Armeniis etiam quà cervicosus in oris
Cum strepitu currit pontem indignatus Araxis;
Quàque ferus Scythiæ populus, devitat & odit
Congressûs hominum, camposque frequentat apertos,
Plaustra habitans, curruque suos, ea sacra coluntur.
Urbs studiis præclara, atque Hellados Hellas, Athenæ,
Festo intenta novo, de nocte sibi ordinat illud,
Lymphatæque instar, facibusque armata vagatur,
Et pietate calens tacitâ, pauciloquâque notatâ,
Inter utrumque ferè, famosam excurrit Eleusin.
Ipse etiam Nilus deliria maxima prodit
Stulticiamque suam: numen veneratur Osirin:
Et portentosis animalia prædita formis
Religione colit summâ; latrator Anubis
Ponitur, & fallax votis Crocodilus in aris:
Præcipuo tamen ante alios valet Apis honore.
Sancta domus, Judæa, Dei, solerter avitis
Legibus invigilat, tunicamque Aaronis in amplo
Æstimio ponit, rerum exterioraque signa;

Mes.

MESSIAM quoque sæpe crepat; cum venerat idem
Nullus adest, clauduntque animos, clauduntq; penates.
Illum optat votis cupidis, numeratque dierum
Lenta intervalla, & tardè labentia puncta:
Illius pleno cunctis ADVENTUS in ore est;
Semper in excubiis agitant, vigilantque daturi
Dextrasque, amplexusque adeunti: ubi venerat autem,
Nullus adest, clauduntque animos, clauduntq; penates.
Cœcutit mundus prorsum, stertitque veterni
Tabe soporatus; non illum agnoscit, amatque,
Qui Genitor rerum est, & qui quoque condidit ipsum,
Æquoreæ Dominator aquæ, regnator Averni,
Et cœli Princeps, propriâ peregrinus in æde est,
Desertusque Israëli. Polus ipse pudoris
Purpurâ inardescit, cœlique exercitus ipse
Huc ad nos migrant, stabulique horrore jacentem
Induperatorem adspiciunt, visoque fruuntur.
Pallescunt Stellæ, mirati humilemque inopemque,
Cui par nemo tamen. compago rotatilis illa,
Astrorum sedes & copula, quæque choreas
Perpetuo motu super aëra læta frequentat,
Quassa tremit. sed præcipuè Stella unica tecto
Impendet pueri, perstansque in limite certo
Advertitque suum, veneraturque ipsa Magistrum:
Mox matutinis conspecta in partibus orbis,
Quò pergant, & quâ quærant regione puellum,
Suppliciterque ubi dent illi sua thura precesque,
Prævia, duxque Magis fuerat. prius aurea mundo
Lumina quàm Phœbus tulerit, cumque esset opaca
Noctis adhuc facies, cœlo delabitur alto
Aligerûm Juvenum nova turma, equitatus Olympi,
Usque Deo adstantûm, *Sanctus, Sanctus*que canentûm
Jugi-

Jugiter. ergò indignæ ingloria limina cingunt
Obsidione domus, circum circaque coronant,
Turba suo officiosa Duci; post ora resolvunt,
Et vitam pacemque ferunt, svaviſſima rerum
Nuncia, quòd purâ jam sit de Virgine nata
Certa Salus orbi. tunc GLORIA LAUsque JEHOVÆ
Ingeminant numeris non ex Helicone petitis,
Sed verò æthereis. non tam procul inde, pedesque
Ad Matris teneros, ipsius & ora puelli
Tityrus accedit, Corydonque hirsutus; utrique
Fistula disparibus septem compacta cicutis,
Oblongumque pedum fuerat. tunc voce salutant
Demissâ infantem, lætique hilaresque recedunt.
Ite ergò, ô Pueri, sylvasque docete virentes
Carmina non audita prius resonare, modosque.
Qualia jam calamo modulatur Tityrus; inflat
Qualia jam Corydon, veteres oblitus amores.
Qualia jam cantat viridi projectus in antro,
Lanigeras dum pascit oves, teneraque capellas
Tityrus; & molli recubans in graminis herbâ
Qualia dat Corydon, meditatus arundine doctâ
Non tristes nimiùm formosæ Amaryllidos iras,
Jurgia nec Codri, veteres nec Daphnidis ignes,
Nec quoque, ut admôrit geminis infantibus, alma
Ubera, lactis opem, catulis lupa blanda relictis;
Quæque alia in censum veniunt, quibus ante solebant
Oblectare animos, & longos condere soles.
Non hoc illorum Carmen. Cecinêre cicutâ
Sponsam illibatam, quæ nuper tempore noctis
Edidit ipsa suum jucunda in lumina patrem.
Miratur rerum stupefactâ mente Josephus,
Cumque esset tenerum sat contemplatus alumnum,

Virginis in vultûs oculos defigit, & ora,
Quam ſibi junxerunt celebri ſponſalia ritu.
Virgo ſedens intra veluti ſacraria templi,
Inque ipſo cœlo veluti, videt agmine magno
Circumfuſam aciem Aligerûm, fulgentia caſtra,
Hinc atque hinc forti propter ſe ſtare coronâ.
Nunc puerum inſpectat, nunc mentem, oculoſq; pudi-
Supra ſe attollit, grati exhibitura JEHOVÆ (cos
Argumenta animi. quòque æſtimat acrius iſta,
Hoc magis indignam tanto ſe retur honore,
Acceptumque refert ſoli decus iſtud Olympo.
At puer ambroſius placidis arridet ocellis,
Blandoque intuitu ſeſe commendat, & offert
Dilectæ Matri, cui fibras abſtulit imas:
Brachia nunc teneraſque manus exporrigit orans,
Nunc jacit aureolos materna in colla lacertos.
Illa oculis puerum pariter delibat, & ipſi
Reſpondet riſu, materno tacta favore.
Nunc humilis, demiſſo animo, tàm magna volutat
Facta ſibi, nutuque Dei dependet ab uno,
Quem geſtat gremio: nunc Virginitatis amatæ
Cura ſubit, rebus quam prætulit omnibus unam,
Quæque ipſi cor una trahit. cumque oſcula pangit
Dulcia, cum carum ſæpe amplexatur alumnum,
Qui magis atque magis Genitricem invitat, & imos
Pertentat ſenſus, quæ ſit modò cogitat, utque
In cenſum tranſmigrârit, virgo innuba, matrum,
Conditione novâ. mox mollia lumina, terræ
Dejicit in faciem. rubor aureus ora colorat:
Ille rubor gaudere vetat, rubor elicit ille
Virgineas lacrymas. Gnati, pudibunda puella,
Gnata ſui, deflet ſua maxima gaudia ſæpe.

Ut

Ut desultor equum cum scandit Lucifer album,
Purpureosque infert vultus, atque ora decora,
Cumque actus radiis descendit roscidus humor:
Ut matutino cum tempore frigoris aura
Blanda viget, rubeus cum spicula lucida Phœbus
Crispat, & intorquet, velutique suo igne jocatur:
Ut nova sanguineo quondam rosa tincta colore,
Nocte sub egelidâ, crystallo roris inundat;
Sic admirando resplenduit illa nitore,
Sic lacrymis maduit naturæ hæc dulcis Imago.
O Virgo, Materque simul, secludito curas:
Ipse tuus Gnatus te namque tuebitur, illud
Virgineum ipse decus custodiet: unica summo
Lecta Deo, dilecta Deo, nuptumque locata es.
Dos tua, sunt cœli. eja animos ostende potentes
Mater, & eja tuos jam lætior erige vultus.
Quantumvis jaceat nunc algidus ille miserque,
Majestate expers, rerumque etiam omnium egenus,
Ampla illi tamen est atque infinita potestas,
Sol illi paret calcatus: in atriaque ejus
Divertunt Phœbes bigæ; noctique diique
Commodat ille domos; illi splendentque micantque
Sidera Plejadum septem radiantia flammis.
Illius auspiciis pulcher scintillat Orion,
Armatusque auro, strictoque interritus ense
Perstat in obsequiis; illi famulantur ad ictum
Magna minorque feræ, metuentes æquore tingi.
Stramine quod latitat, supereminet omnia, per quæ
Roma potens ausit totum sibi subdere mundum,
Præsepi impositus, nudatus membra, geluque
Adflatus rigido, quàm cuncta potentia terræ,
Fortior est, majorque. arx illi celsus Olympus,

Tigna, trabesque, aër, quà Sol juga, frenaque demit,
Quàque imponit equis: sunt propugnacula, nubes,
Et mare, firmamentum illi. nos, Orbis & ipse,
Illius domus est. quod nomine cunque vocatur,
Quàque it, quàque sedet, Dominum fateatur oportet.
Luxuriet, sine, divitiis, pompâque superbus
Cæsar, & Imperio; Tyrio, sine, murice gestet,
Illusamque auro tunicam, quamque arte polivit
Barbarâ acupictor Phrygio, stellisque notavit:
Inclinent capita, & domiti reverenter adorent
Danubius, Rhenusque pater; sine, victor in armis,
Inter honoratos proceres, sanctumque Senatum,
Aurato in curru, sellaque invectus eburnâ,
Tarpejos scandat montes, ubi scilicet Orbis
Suppositas sibi cernat opes, tamen incubat illi
Iste Puer. Judæa fave, tibi libera regna,
Jam redeunt, jam teq; potes, sceptroque potiri:
Lætentur, plaudantque simul Sinaique, Basanque;
Exultent pariter nunc Jordanesque Sionque:
Sumat Idumæa innubes hodie ardua vultus,
Natalemque gerat palmam, laurumque virentem
Imponat capiti, quam tantoperè inclyta Roma
Jactat, & ostentat, quam gestat vertice Cæsar
Ipse suo, gremioque Jovis dextrâ ipse reponit.
Salve blande Puer, terras conspecte per omnes,
Aëre proclamate super, cœlestia per quem
Mœnia perpetuo gyro, motuque rotantur.
Ecce Magi adveniunt, Nabathæaq; regna relinquunt
Igne tuæ stellæ ducti, largâque ferentes
Dona manu, gratumque animum, cultumq; modestum.
Salve pupe tener, ter maxime pusio salve,
Antiquis Patribus bis mille petite per annos,

Nunc

Nunc tandem delapse polo, terramque revisens.
Jam tandem te sistis, ades jam corpore tandem
Hospes ô Abraami, Luctator magne Jacobi?
Cernite quàm tener est, ô cernite, quamque pusillus,
Quàmque imbecillus, quem non felicibus alis
Ipse tegat Cherubim, nec mente apprendere possit.
Qui cœlos implet, totum qui sustinet orbem,
Prenditur ecce manu, prensusque reponitur idem.
Princeps ille Ducum, quem cuncta creata verentur,
Currusque Israël, equitatusque omnis. eorum
Munimentum ingens, & murus aheneus, hostis
Cum sævit collatâ acie; quem nemo latere,
Fallere nemo potest. qui tot, sine curribus, hostes,
Ense sine, & telis, atque unâ nocte cecidit.
Fastosum Sanherib, qui ludos fecit, & urbem
Exemit Solymarum hosti, excidioque pudendo.
Salve blande puer, terras laudate per omnes,
Quà Moses populusque tuus, quà Josua ductor
Expediebat iter: quem novit, & augure pennâ
Amosides pinxit: quique olim est creditus, esse
Divino Salamoni, inter pulcherrimus omnes.
O flos caste rosæ, puer ô suavissime rerum,
Quàm spretus tamen es! quam nullo prorsus honore!
Quàm non instratus, tectusque tapetibus aureis!
Quàm sine deliciis! jacet heic, qui celsior extat,
Quam Lunæ se currus agit quamque orbita Solis.
O Princeps Canaan, ubi flumina melle redundant
Omnia, ubi non sævit hyems, ubi veris imago est:
Perpetuos ubi terra gerit cultissima flores;
Ærumnis tantis quis te intricavit? ubi nunc,
Quove loco es? quis tantus, age, huc te detulit error?
Hoc algu sine veste venis, tantoque rigore,

Perpeſſuſque nives, ventiſque adflatus acutis,
Horrida cum inſinuant membris ſe frigora, cumque
In glaciem concreſcit homo, barbâque pruina
Squalet, Hyperboreis Boreas cumque ingruit alis.
O utinam imponant tibi veſtimenta Sionis
Filiæ, & ô utinam veniant tibi ſternere cunas!
Ah quod tàm graviter, tàm laxè jactat habenas
Stridulus ille Aquilo; ah quod tã improba flamina vol-
Ah tibi ne teneras glacies ſecet aſpera plantas! (vit!
O utinam acceleret velociter omnis Adami
Progenies, redimenda tibi, rapiendaque ab Orco;
O utinam acceleret, videatque in ſtramine duro
Delicias cœli, atque decus, ſiccetque fluentes
Ex oculis lachrymas! genitabilis aura Favoni
Ah veniat tepidi, qualis cum prima ſuſurrat
In Libano, Galaadque levis, tuaque occupet antra!
Machina tota poli huc veniat, ſpargatque tenellum
Rore ſuo puerum. canos hirſuta capillos
O utinam mutetur hyems, in tempora veris
Dulcia nunc, nec grando cadat, nec frigus adurat!
O utinam te Æſtas agnoſcat, & advolat iſthuc!
O utinam potiùs totus ſe miſceat annus!
O utinam volucres, quæ depaſcuntur Hymettum
Florilegæ huc veniant, circumque hæc blanda labella,
Circumque os volitent, quæ nil niſi nobile manna,
Nil niſi nectarei ſunt ambroſiique liquores,
Unde voluptatis torrens in pectora noſtra
Veraque deſtillant fœcunda gaudia rivo!
Atque utinam tandem cunctorum examina florum
Hoc præſepe petant, hæc incunabula cingant,
Teque ſuâ involvant anima, frontemque coronent,
Teſtantes Dominumque ſuum, ſeclique Monarcham.

Aëris illa etiam volucris, molliſque propago,
Candidæ aves, ſtabulo hoc ſaliant, ducantque choreas,
Inque tuas laudes modulentur voce canorâ
Svaviter, *ô Salve, noſter Rex inclute ſalve*;
Ut celebret quævis, ut ſic fateatur, alumnam
Eſſe tuam, motumque tibi, debereque vitam.
Ah! ah! principium miſerabile, & ipſa dolorum eſt
Materies. infans circumcidatur oportet:
Virgineis fertur manibus. pro ſanguine Mater
Dat lacrymas, pia munera dat, primumque dolorem,
Et primum vulnus pueri mercatur: avita
Lex implenda fuit, quamvis non labe notatus
Criminis ullius fuerit. fert maſculum ad aras
Ipſa ſuum, præſensque operi eſt, cernitque cruorem.
Hanc habuit ſtrenam, xenium hoc miſer abſtulit infans.
Herodes crudele furit, dirumque minatur
Exitium puero; cumque eſſe ſua irrita vota
Cernit hians cædes, rabioſâ mente Tyrannus,
Infantes, pueroſque jubet detrudere ad orcum.
Hâc illi voluit lanienâ offerre Salutem.
Salve heic Tu nobis. nitidas imponite veſtes
Quilibet: hanc lucem celebrent homineſque feræque.
Navibus Oceanus careat; fuligine cœlum:
Stent operæ artificum; careant quoque compita turbâ.
Quique dein ferro ſcindet ſua rura colonus,
Parcat equis, faveatque ſuo nunc ocia aratro:
Miles ab infanis requieſcat fervidus armis:
Nec pugnent, reco quantque ſuæ nova ſemina litis
Doctores vaſtâ de æternæ mentis abyſſo.
Salve nate recens, Tu, qui Simeona canentem,
Zachariam mutum reddis. video ecce Johannem
Aſſultare tibi, atque inſvetos edere motûs,

Ingen-

Ingenti prælæticia, cupit ille videre
Te prius, aërias quam tu, quamque ille sub auras,
Nobile maternâ Par prodiretis ab alvo:
Ut quondam, cum jura dares terrentia legum,
Et voce horrisonâ legum tua jussa doceres
Mirando in splendore, & majestate tremendâ,
Aëriâ nube invectus, supraque tribunal
Consides celsum, debes conscendere montem.
Qui prius in Sinai leges tradebat, easdem
Nunc iterum in montis fulgente crepidine Thabor,
Majestate novâ repetat. namque illa docebas,
Quæ paucis à te, parvo pòst tempore, verbis
Condita: *mente animi totâ, totoq; JEHOVAM*
Pectore, & ex totis debemus viribus usque
Diligere, atq; hominem, ceu nos, ex ordine quemvis.
Hoc qui implet, fecit satis ille, & doctus abundè est.
Salve heic tu nobis. video Plutona trementem
Vertere terga tibi; tabem morbosque febresque
Cedere; restitui miseris sua limina cœcis;
Loripedes recto, claudosque incedere talo.
O ingens Medicina, puer, tibi multa virorum
Millia sunt saturanda cibo; tu luce carentum
Corpora, præstabis viva, educesque sepulchris,
Imò ex ipso Acheronte leves in luminis auras.
Tu maris insanas, formidatasque procellas
Voce tuâ solâ in planum subsidere coges:
Cumque tibi libuit, Neptuni immania dorsa
Scandes, quæque tua est immensa potentia, siccis
Calcabis plantis, fluctu suspensus aquarum,
Non secus ac terræ solido. tu corpore morbos,
Quos dedit iratæ trux inclementia Lunæ,
Depelles penitus. radiis & fulguris igne

Splen-

Splendeat ut, clari, tibi Solis imagine, vultus,
Efficies: tu squammigeros ex æquore pisces
In terram excibis, terramque innare jubebis,
Et quod vectigal debes, persolvere: stabit,
Te mandante, arbos exsuccis arida ramis:
Vertenturque in dulce, Acheloia pocula, vinum,
O ingens prorsus turbæ mortalis Amice,
Ante puer quàm natus eras. ô maxime Tutor
Terrigenæ, postquam per crimina perditus esset,
Quæ non fecisti, desperatoque tulisti
Quod non auxilium? quæ non solatia? quam non
Es meditatus opem? tamen Israële creatum
Præcipuè populum mellis lactisque cibâsti
Butyrique dape. unde ergò scelerata suborta est
Invidia illorum, atque odium, funestaque mentis
Perfidia, & quod opus duri execrabile patrant? (ter?
Quis populum hunc genuit? vel quæ edidit aspera ma-
Num mare tempestate actum, fluctuque tumescens
Applicuit mammas lactentibus? inter opacas
Aut Libyæ silvas indignabunda Leæna
Nixu infelici peperit, vel Caucasus horrens,
Quod trabis infami crucifigunt robore, semper
Ipsos qui vero complectebatur amore;
Ipsis qui promissus erat, descriptus, & ante
Tempora longa expectatus, votisque petitus,
Ille sui Genitor populi. celeberrimus Agnus,
Notus, quà Pharios septemplice gurgite inundat
Nilus agros, & quà sitiens exæstuat Afer.
Stella ingens olim Bileamo visa, Moabi
Regis in exitium, cuique est parere coactus
Vaticinans: Dux Israël fortissimus, ante
Tempora longè ista, in nostrum quam venerat orbem,

Judæa indurata, animosque induta cruentos,
Sanguinea, excæcata oculis, & corde profano,
Ipsa necat Dominum, crudelesque injicit illi
Ipsa manus; fasque abrumpens, & nequiter omne
Jus violans, clavisque manus, & perforat ipsos
Dira pedes, quos sidereo de vertice ad illam
Legatus, Præcoque tulit. Qui fasce gravatus,
Atque onere immenso Patris iræ, & pondere vasto
Nostrorum vitiorum, infami ex arbore pendet
Pressus, consputus, contemptim illusus, ab omni
Desertus mundo, atque ob eum desertus JÖVÆ.
Quicquid mundus habet, Dominum de stipite cernit
Suspensum infelice suum; quique æquat olympum
Ingenti spacio, non mensurabilis aër,
Non tamen illum ambire potis, (prô lugubre factum!)
Fata sui Patris, vi cogitur ipse tueri,
Spectaclum miserum. Sol pulsus ab æthere cessit,
Attonitusque polum perturbatusque refugit:
Cumque videret, uti caput inclinatus obiret,
Involvitque diem tenebris, horrensque tremendum
Ingemuit. templi mirâ textum arte modoque
Purpureum velum, rupturam à vertice sensit
Ad calcem penitus. lapides avulsaque saxa
Dissiluêre petris, magnumque dedêre fragorem.
Ipse Pater, mundum collo qui sustinet, Atlas,
Intremuit durâ pressus cervice, tulitque
Impatienter onus, fastidiaque ardua molis
Jamjam depositurus erat. natura ruinæ
Vicina ipsa fuit labens, suspiriaque hausit
Tam graviter, tellurem ut commisereseeret ipsam.
Hinc fundamentis irata dehiscit ab imis,
Atque aperit portas, totamque ehudat abyssum.

Dif-

Diffissum sensêre solùm Cocytia Regna;
Excussusque throno, motu violente, superbus
Pluto fuit: tum demum ardentia tela diei
Cerberus intuitus, rabie, immanique furore
Exstimulat sese insanus, frangitque catenam
Ter profugus; quamque excubitor non deside curâ
Custodit portam, solidoque adamante columnas,
Destituit frendens; tum personat antra trifauci
Latratu Stygia indomitus: formidine torpet
Tisiphone insolitâ, vocisque evanuit usus
Consternatæ animo; tunc quos pro crinibus angues
Sanguineos gerit, inter se commiscet, & atrâ
Terque quaterque manu circum caput injicit amens.
Tartareus Phlegethon flammis torrentibus ardens
Exundat penitus, rapidumque egurgitat ignem,
Ejaculans nebulas, vapidique volumina fumi.
Qualiter horrificis cum detonat Ætna ruinis
Ingens, atque atram prorumpit ad æthera nubem,
Turbine fumantem piceo, & candente favillâ,
Flammarumque globis: semustum fulmine corpus
Enceladi hâc mole urgetur, quotiesque recumbens
Vult mutare latus fessum, solet intremere omnis
Murmure Trinacria, & cœlum subtexere fumo.
Hos motus tantos, vitali lumine cassi
Audivêre procul, tumulisque ivêre relictis
Augustas Solymas; vitali lumine cassi
Testari iverunt, Belial quod strage recenti
Occisus fususque gemat, quodque insuper ipsum
Fuderit Emanuel victor, qui tertia postquam
Luciferum roseo tenebris aurora fugatis
Spargeret ore diem, busto surrexit ab imo
Saxum per medium. mortem tu dulcis alumne

Calcabas ultor: diris è faucibus orci
Hoc vidit Pluto, tristis dominator Averni;
Vidit, & ingemuit tibi se diducere cœlum
Sponte suâ, teque induvias, & carnis amictum
Humanæ invexisse polo: vastissimus orbis
Vidit, & Angelicæ non millia pauca catervæ.
Per te nostra caro superum conscendit Olympum,
Unde sacrum mittis Flamen, quod manat ab ore,
Vestrûm utriusque, Patris Natiq; etiam; attamen extat
A vobis divisum: est, quod vos estis uterque,
Et, quod non estis; pariterque utrique coævum est.
Unde olim sublimi in majestate redibis,
Clangoremque tubæ terras mandabis in omnes
Diffundi, ut quod adhuc cœlesti vescitur aurâ,
Et quicquid functorum urnis requiescit opacis,
Judicium subeatq; tuum, subeatque rigorem.
Salvator salve, Domitor rerum omnium. ô ingens,
O robuste Leo, nate Israële fideli,
Edite de Judâ: Deus Abraam maxime, multis
Et qui post Abraam venisti denique seclis.
Qui Paradisiaci fortunatissima campi
Arva recluisisti, Stygiæ improba regna paludis
Objice prævalido offirmâsti. atrocia terga
Pythonis, fuso per vulnera nigra veneno,
Confeciisti alacris. factis ô nobile semen,
Qui caput antiquo infregisti immane Colubro:
Per quem Tartarei fastosa potentia regni
Quassa jacet; qui triste jugum, quod pertulit olim
Afflictus Moses demsisti, & amabile legis
Mandatum, fœdusque novum, pignusque dedisti,
Solando miseros. O Legi ac meta Prophetis;
Quem quondam Moses, ac Josua maximus Heros,

Sæ-

Sæpius auxilium dubiis in rebus habebant.
Legi meta sacræ, atque iterum nova Legis origo.
Quem Jacob Patrem appellat, quique ipsius audis
Benjamin. qui principiò promissus Adamo es:
Qui constante Noam juvisti in tempore duro
Auxilio, cuique exhibiti post signa favoris
Plurima, Cheirographum suspensum ex aëre, quodque
Mille trahat varios adverso Sole colores,
Scripsisti miserans, quod nos hodieque micare
Sæpius adspicimus læti. Jacobus amicè
Quem contrectavit, Salomon cantavit, & ille
Magnus adumbravit, quem præviâ imagine Samson,
Per quem tot, tantosque hostes gentemque cecidit.
Qui Moab, sævumque Amalec sub Tartara dira
Misisti, atque tuo non tardans sæpe Davidi
Succurristi ope mirificâ. ô germana propago,
Gnate ô vere hominis, (fuit hæc tua sacra voluntas)
Istius gaudes qui nominis Alter honore,
Es tamen ante omnes. ô dulce, ô nobile nomen,
Cui veniente die, cui decedente, quod usquam est,
Flectitur omne genu. ô nomen dulcissimum, Hymetti
Mella quod exsuperat; nec adhuc sat laudibus ullis
Decantatum unquam, nomen dulcore süavi
Præcellens, quicquid nobis communicat Indus,
Atque Arabes fusci; super omnia dulcia dulce,
Quæ nôrunt homines: super omnia dulcia dulce,
Mortales quæcunque vident, quæcunque celebrant.
O Jonathan genuine, omnes dulcedine amores
Fœmineos vincens. Elia maxime salve
Adscensu ad cœlos, ô Jona maxime salve,
Circumcise, sacris tincte undis, passe dolorem
Absque dolore, etiam sine letho, tradite letho:

Namque Deum non debebas deponere, cum sis
Ipse Deus, fuerisque Deo cum Patre, caducam
Cum nondum carnem gereres, & mortis in ipso
Articulo; cum Patre Deo, Deus, ordine eodem
Temporis: exhalans animam, pariterque sepultus.
Impensis caro magnificis, corpusque sepultum est:
Spiritus usque Deo, prædatoriique cohæsit;
At Deitas indivisim cum - mansit - utroque.
Ipso ab Patre Deo placidas Jordanis ad undas,
Ut Deus, ut Gnatus celebrate; à Flamine sacro,
In volucri monstrate. heic vos tres cernimus, unum
Esse tamen; tresque ut sitis, tamen estis & unum.
O mortis mors vera, salus quæ est nostra; tremiscit
Cui cœlum astrigerum, cui stant vasto æthere nubes.
Cui stellæ parent, justoque timore pavescunt.
Cujus ad immensam majestatemque verendam
Sidereæ princeps turmæ, fax lucida Olympi,
Sol rerum dominus, fulgentes occulit ignes,
Et cœcâ induitur tectos caligine vultus:
Cujus ad obtutûs, & splendida lumina, magni
Avertunt oculos Seraphin, nequeuntque tueri.
Salve ô Rex, genite æternùm, æternâque coronâ
Incincte, electe æternùm, par Melchisedeco.
O non principio, non metâ incluse Sacerdos,
O æterne Propheta, atque ô æterne Levita.
Uncte Dei salve, respersus rore süavi
Qui nunquam absistet, semper qui halabit odorem,
Jucundamque auram. perfusus aromate dulci
Læticiæ, insumptoque oleo haut temerarium in usum;
Officium ad triplex, ad quod jam lectus ab ævo es.
MESSIA salve, Via, Verum, Vita. JEHOVÆ
Verum non fallax, & mens æterna JEHOVÆ,

Je-

Jehova ipse, datus nobis à Patre Jehova.
Verbum, thesaurusque sacer, mirusque colonus,
Qui palam tractat manibus, frugesque repostas
Ventilat egregiè, qui, nî satis utilis arbor
Fert aliquos fructûs, nî ramus in arbore floret,
Extirpat penitus, rigidâ cæditque securi,
Sarmenta injicienda rogis. Gaza illa bonorum
Fundo orbata suo, Lapis, in quo prima recumbunt
Fundamenta domûs: magni laquearia mundi
Dispennit magnâ justo qui pondere dextrâ.
Pascha illud; fons, & scatebra undantissima rerum,
Nulli exhausta unquam: illorum, quos terra recondit,
Primitiæ; Princeps pacis, veraque quietis:
Qui cœtum immensum, fortissima pectora, pro se
Nanciscì, placeat modò si victoria, posset.
Quique hodie est, & heri, crasque. Angelus ille potentis
Consilii; qui vi manifestâ, & robore multo
Angelus incolumem promissas duxit in oras
Dilectum populum, quique in regionibus istis
A parte Israël contra stetit acriter hostem.
Davidis serviique sui, fidique ministri
Omnipotens Dominus; vinumque, & vinea juxtà:
Pastor, oviscque etiam. Sol illustrissimus, illis,
Durus sub densis adamas quos alligat umbris,
Et tectos tenebris mors opprimit atra; Salutis
Cornu illud verum; pulcherrimus Unio; vera
Esca animi; pollens Aquila, in penetrale sepulchri
Quæ se usque immisit, validisque iterum licet alis
Prodiit alta petens, ubi nunc super omnia regnat.
O Serpens ex ære, malis ex omnibus omnes
Eripimur per quem, noxasque evadimus omnes;
Quem sensit Daniel foveâ in squalente Leonum;

Qui

Qui Trigam Juvenum, medio è fornacis Averno,
Vulcano è medio, flammisque calentibus ignis
Illæsos omninò illibatosque reduxti.
O Pater ô, facias nobis quoque frigida corda
Fervere, virtutemque tuam roburque perenni
Concelebrare sono. calefac accendeque pigram
Mentem animi igne tuo, dulcẽq; in eam ingere amorẽ.
Norma voluntatis nostræ tua sancta voluntas
Esto, animetque illam. sine te nil possumus unquam.
Te sine conatus nostri, imbellisque voluntas
Languet egens, nec sæpe tibi, sed rebus adhæret,
Quas odisse habuit: duc nos, adsisteque nobis,
Ne desertores tua prodere signa queamus.
Seria thura precum, & fervens meditatio, cœlis
Vim faciunt, penetrantque; hæc talia suggere nobis,
Et cum, nos contra, sua Tartarus arma dolosque
Expediet, volvens iras, ne simus inermes,
Da clypeum fidei, nostrasque polo erige mentes,
Firmiter innectens; per te vincamus, ut olim
Martyres egregii, qui per tormenta, crucesque
Per medias, fixique rotâ, injectique camino
Ad te adscenderunt. sensus compesce catenâ,
Luxuriemque animi, nilque os, nisi vera loquatur;
Et quæ non certis fulcitur opinio nervis,
Amolire procul; qui non errasque, basisque es,
Da pateat per te pedibus tua semita nostris:
Invenisse juva, quæ dicis; amabile cunas
Principium esse jube, pariterque adolescere tecum.
Donec se penetrent illò purgata cruore
Corda tuo, verboque tuo, ceu matre, renata,
Quò tibi, quòque tuæ sedes electa catervæ est:
Nil nobis cum Esau fuerit, neu scrupulus iste

Nos

Nos multùm pungat, neu ſpinoſa iſta fatiget
Quæſtio, cur odio fuerit ſummo ante JEHOVÆ
Quàm fuerit: ſtudio qui ſollerti unicè anhelat
Quæ tibi ſola placent, & quæ tibi ſola probantur;
Qui non ingenii nimium heic exporrigit alas,
Nec ſecreta inhiat, laudis decus ille meretur.
Qui ſola lambit humi, via cui indagatur aperta,
Quamque etiam inventam terris ſectatur in iſtis,
Nil errans quicquam de tramite. cætera linquet,
Si ſapit, & dilata in præſens tempus omittet,
Cœleſtem in patriam. iſthic eſt Academia docta,
Iſthic nôſſe Patris penitus ſecreta licebit,
Indiciis vulgata tuis, regale tribunal
Quando premes, circumque tibi infinita caterva
Cœlicolûm adſtabit. nobis, pia cura, Jacobus
Eſto ſacer, quem matris adhuc cùm degeret alvo,
Nondum infans natus, miro dilexit amore,
Eſſet ut inque fide, elegit Deus, atque profanum
Eſau dimovit; non, hâc quod dote Jacobus
Ex ſe ſit dignus, ſed ei quod dante JEHOVA,
Adveniat. qui ſe tollunt ſublimius æquo,
Ultra quàm par eſt, terram labuntur in imam,
Atque inter lites ſemper dubitando ſeneſcunt.
Scrutantur tua conſilia, indagantque perenni
Curâ animi, quorum rationem reddere nemo,
Nemo poteſt cauſas. hinc illa incendia flammæ,
Hinc ira, hinc odium, hinc rixæ, invidiæque venenum
Nos inter gliſcunt. hinc pax ſuaviſſima rerum,
Hinc amor, & jucunda quies, humilisque fugatur
Spiritus. alta placent, ipſus penetratur Olympus.
Ad Patrem dum imus, dum Patrem quærimus, eccè
Naufragium Gnati facimus. perit utilis index;

Quò propiùs gradimur, longinquius absumus illò.
Non sequimur ductum Scripturæ; immergimur undis
Oceani vastis, nec veram tangimus actam.
Bellerophon veluti, cui sorduit usus equorum,
Qui terris calcem incutiunt, liquidum aëra Vector
Findere, & anguicomâ de Gorgone maluit acre.
Subdere calcar equo: & veluti Climeneia proles,
Magnanimus Phaëthon, Volcania munera, currûs
Accepit patrios, sparsurus lumina terris,
Inque diem alipedum jus & moderamen equorum.
Magna agit ipsos nos nostri fiducia; turrim
Extruimus celsam, quæ, ceu Babylone superbâ,
Vertice contingat cœlestia sidera: lignum
Negligimus vitæ; fructus apprendimus ipsos
Cognitionis, Adam quod item cum conjuge fecit,
Labimur & pariter. rationis limite abacto
Supremum sapimus, meditamurque indole nostrâ
Nobismet casum. qui verò simplice mente
Terræ instat, positum in stabulo te heic invenit, ipsos
Ante pedes, veluti sapientia pectora, Persæ,
Omnem extra fucum te quæsivêre, locorum
Quà inveniendus eras. viderunt eminus illi,
Te cunasque tuas, nec sunt dictata secuti
Humani sensus, stellæ sed in aëre ductum.
Ut quoque nos ô Alme Puer, te pectore toto
Exempti curis nimiis, quâ lucidus extas,
Non quâ terribili tegeris caligine vultûs,
Quæramus, præsta, qualem te vidit in igne
Attonitus Moses, tunc cum fundamina terræ
Concuteres dextrâ, sineres clangore tubarum
Omnia perstrepere, & legis præcepta severæ
Vulgares cinctus flammis, horrente catervâ

Isa-

Isacidum, fractâque animis, incendia tanta
Ut formidaret Sinai, splendoreque tanto
Perculsus, vocisque tuæ terrore stupescens,
Ire minaretur liquefacto corpore pessum.
Et qvalem vidit Pharao, cum fortiter arma
Pro caro Israële tibi, illiusque ministris
Defensor gereres, circumdatus undique servo
Aëre, & Oceano; qui mox tua jussa capessens
Suspendit fluctus tumidos, & imagine muri
Constitit, atque iterum veteres de more procellas
Volvit agens undas. Tu, qui tua cœlica regna
Conditione humili, nobis vitâque parâsti:
Qui tantum ante Deus, mansueto inductus amore,
Factus es hoc, qvod nos sumus, atq; existis utrumqve.
Nempe, sumus quod nos, tuq, ipse quod ante fuisti,
UNIO nunc in te est indivisibilis ævum.
Scilicet, humanum quod erat, super ætheris aulam
Evectum, tua quà Deitas dominatur, adeptum
Virtutemque parem est in te, qui existis utrumque.
Innobis hoc languet adhuc, onerique molesto
Persimile est. qui jamque tibi multiplice nodo
Innexi, inclusique sumus, perfusa cruore
Et purgata tuo soboles. jam pectora læta
Innubes gerimus, meditatioque ista perennis
Nos tenet, ætheriis tecum considere regnis.
Atque ut nostra fides voto firmetur in hocce,
Nutris nos, mandasque tuis accumbere mensis,
Apponis corpusque tuum, sacrumque cruorem,
Cœlestes epulas, quibus est nil carius unquam.
Non tantùm hîc alimur panis solius ab usu,
Tu veras escas, æterna alimenta ministras,
Tollimur, & superas ad te penetramus in oras,

Hinc animus noſter tua dulcia gaudia lætus
Participat, ſentitque tui tormenta doloris.
Exuimur membris, & carcere ſolvimur iſto;
Ac, tanquam in ſecuro, intra tua vulnera, aſylo
Occulimur, noſtramque famem hoc convivio abundè
Atque ſitim explemus. vera heic eſt illa voluptas,
Quæ cœlo nos uſque manet. heic lactis alumni eſt
Ille latex, animæque cibus manſurus in ævum.
Nos tua vivificat Pelecane ô maxime rerum
Illa caro, qui nos reparando ut paſcere poſſis,
Victima commoto fis ſuccidanea Patri,
Et moreris, ſurgisque redux, mortique ſuperſtes.
Haurimus nectar, nectarque exugimus illud
Cœleſte, ætherium, quantum ſatis eſſe putamus;
Atque in morte tuâ ſensûs attollimus imos
Erectis animis, & quæ nos cunque fatigant
Deſpicimus, rerum ſecuri, extraque periclum
Calcamus Behemoth, Leviathan cædimus ipſum.
Salvator ſalve, ſalve Uncte electe JEHOVÆ,
Qui jam æternus eras, poſt æternusque manebis.
Salve ô Alpha, bonum, primâ ſine origine, primum,
Extremumque bonum ſine fine quoque, Omega ſalve.



DE

DE PETRO LAUREMBERGIO VERE HEROE.

INclyta Roſtochium, *tibi nomen dulce* Roſarum eſt,
Dignaq; es in vernis usq; ſedere Roſis:
At quia nunc Æternam *intra tua mœnia* Laurum,
Imò Laurorum Montem Apicemq; *geris;*
A Lauri *potius te floriditate vocari*
Convenit, & Lauri *præſtat habere decus.*
Lauri *etenim non torpet honos, nec marcet ab annis;*
At Roſa vel modico frigore tacta, perit.

Martinus Neſſelius.

DE MARTINO OPITIO V. CL.

DIus Ariſtocles, Venerilla illa Attica, Cygnus
Ille Cupidineus, quem mundi innoxia Seiren,
Obſtetrice ſatus Vates, atrâ ille cicutâ
Perditus, è templo ad ſuperas niti acriter auras
Remigio alarum, inque ſuum deſcendere vidit
Nocturnâ ſub pace ſinum, dulcedine linguæ
Tàm felice fuit, tamque admirabili, ut ipſe
Juppiter, ille hominum magnus Divûmque Monarcha
Si Grajo ore loqui cœleſti in culmine vellet,
Non alio, quàm, magne tui loqueretur Ariſton,
Germinis, ut perhibent oracula priſca virorum:
Credimus hoc, res ipſa docet: Plato melleus ore eſt.
Si tamen ille idem Divûmque hominumque Monarcha
Te labra, ſolventem vernaclo, dulcis OPITI,
Sermone, & nectar verborum, ac mattya rerum,
Quicquid & uſquam adeò ſalis, omnigenûmque leporum
Mortales præſtare queuut, Venerumque jocique
Per liquidum ſiphonem oris, purumque canalem
Fundentem audiſſet, forſan Germanica Grajis,
Grajaque Germanis variare, atque ordine facto
Alternis miſcere; aut ſaltim intra ætheris aulam,
Ad Divos cuperet noſtris ſermonibus uti.

Videatur Aſini Aurei Scriptor in De Dogmate Platonis.

Aliud de eodem.

Cùm puer in cunis vagiret amabile, cumq;
Mulceret tenerâ membra quietè Plato;
Mellilegas volucres, animalcula provida rerum,
In labris visas illius esse ferunt:
Dulcesq; instillâsse favos, & saccara linguæ;
Quâ dote æternos viveret ille dies.
At Te, blande Opiti, quam primùm in luminis auras
Editus es, matris sustulit ê manibus
Diva Paphi, tenerisq; ferens multa oscula malis,
Tu mihi, delicium nobile, dixit, eris.
Posteà etiam sugenda admovit ad ubera alumnum,
Sedula linteolis implicuitq; novis.
Nec mora, ab Orchomeno dat læta negocia Trigæ
Insolitâ cunas arte movere tuas.
Tunc circum Aöniæ lallûm cecinêre Sorores,
Et sparsum fontis rore dedêre sui.
At puer allusitq; tibi, arrisitq; Cupido,
Discipulus quondam strenuus ille tuus.
Hinc inter lepidi consortia talia cœtûs,
Cum flueret, Divûm munere, vita tibi;
Nullum adeò mirum est, te sparsa papavere dicta,
Nilq; nisi Veneres, nil nisi mulsa loqui.

Martinus Nesselius.

Dan. Heinsii
Lobgesang Jesu Christi des einigen vnd ewigen Sohnes Gottes / Jns Hochdeutsch versetzet durch Martinum Opitium.

Das Wort war vor der Zeit bey Gott/von Gott erlesen/
Vnd selber Gott/mit Gott dem Vater in dem Wesen:
Doch gleich so wol der Sohn: der von dem Vater hat
Gewalt vnd Herrligkeit: des Vaters Wort vnd Rhat.
Vnd da des Himmels Baw mit Wölcken ward vmbschlossen/
Der tieffe Grund der See mit Wässern vbergossen/
Die Sternen in der Lufft gesetzt in jhren Stand/
War er des Vaters hülff/ vnd seine rechte Hand.
Er wär der Anbegin/ der Anfang aller Sachen/
Er war in dem Begin/ halff alle Dinge machen:
Er war das wahre Liecht: das Liecht so vnverwacht
Kam in die Finsternüß kam leuchten in der Nacht.
Aus eigentlicher Krafft in dieses Elend kommen/
Erworben vnser Fleisch/ vor vns den Tod genommen.
Vnd darumb ist er Gott/weil seine Menschheit kömpt
Nur von der Gottheit Macht/vnd von sich selbst bestimmt.
Jst worden wahrer Mensch/vnd wahrer Mensch gebohren/
Aus eigener Gewalt/ er hat das Fleisch erkohren
Da er war ohne Fleisch: er hat durch seinen Rhat/
Noch wahrer Gott allein genommen diese statt.

Eh

Eh als er Mensch noch war/ eh als die Menschen waren/
Beschloß er bey sich selbst vor sie herab zu fahren/
Zu werden das wir seyn. so rührt die Sterbligkeit
Von dem so ewig ist/ so war vor aller Zeit.
Denn er die Weisheit war des Vaters/ vnd das Leben
In allem was da lebt; der allen hat gegeben
Ihr Wesen/ Lauff vnd Art: eh Sonn vnd Mondenschein/
Die Augen dieser Welt geschaffen worden seyn.
Eh als die Welt gehört von Monden oder Tagen/
Eh als sie selber war/ war Gott mit jhm vertragen/
Der Vater mit dem Sohn: das volligie gewalt
In allem was er hat/ dem Sohn ist heimgestallt.
Der Vater vberall/ der Sohn zugleich in allen/
Des Vaters Ebenbild/ des Vaters Wolgefallen/
Gott selbst/ ein ewig Gott. doch/ ob wol nicht vorhin/
Der Vater gab dem Sohn/ als Vater/ den begin.
Aus jhm/ vnd nicht nach jhm. Wie wolten wir doch mahlen
Die tieffe Heimligkeit? Sieh an der Sonnen Stralen/
Sie scheinen nicht zuvor/ sie seyn auch nicht nach jhr/
Mit jhr vnd aus jhr doch. so geht es auch allhier.
Was schiffen wir so hoch? ich bitte laßt vns reichen
So weit es sicher ist/ vnd für den Klippen weichen.
Ein Pferdt das vngezäumt sich braucht der grossen Macht/
Hat seinen Meister bald zu Leid vnd Fall gebracht.
Die von der Erden gehn/ vnd auff den Himmel dencken/
Sind ohne Ruder auff/ vnd wissen nicht zu lencken.
Der Ancker ist hier gut. des Menschen Schiff vergeht
Der blind vnd vnbedacht nach Gottes Weisheit sieht.
Nach dem das schöne Feld in Eden war verschlossen/
Mit vnerschöpfftter Lust vnd Frewden vber gossen/
Daß Adam vnd sein Weib sind flüchtig ausgejagt/
Vnd wegen jhrer Schuld der Garten ward versagt/

Kriegt' er den Segen nicht/durch Gottes Zorn vertrieben/
Hat sich vnd vns gestürtzt/ist arm vnd dürfftig blieben/
Dem guten gram vnd feind/ besudelt/ vngesund/
Verändert vnd verfälscht verderbet in den Grund.
Im Menschen ward der Todt/ vnd mit jhm auch gebohren;
Verlassen von jhm selbst/ vnd durch jhn selbst verlohren;
Durch Adam ohne Gott: er ward durch jhn gefellt.
Mit Adam vnd durch jhn in Adams statt gestellt.
Noch ließ der grosse Gott sein Vaterhertze wallen/
Voll von Barmhertzigkeit: daß Adam kaum gefallen
Er hat jhn auff der stett/ da alles war verzagt/
Die hohe werthe Hülff vnd Mittel zugesagt;
Daß er vnd sein Geschlecht nicht ewig solten schweben
In solcher Trawrigkeit/ vnd stets verbannet leben:
Des Weibes Samen würd in seiner Zeit entstehn/
Dem Feinde mit Gewalt/vnd Macht entgegen gehn/
Zertreten seinen Kopff/ zerstören/ vberwinden/
Den argen Seelen feind/ den Reitzer zu der Sünden.
Diß grosse thewre Pfand/ der Schatz ward auff der Fahrt
In Gottes Sinn verfaßt/ beschlossen vnd verwahrt/
Gezeichnet/ fest gemacht/ besetzt an allen Enden
Mit Siegeln von Demant in Gottes Sohnes Händen/
Gelegt in seine Schoß/ als Rettung in der Noth/
Als Mittel vnd Artzney für Teuffel/Hell vnd Todt.
Vnd da die grosse Flut von oben ab geschwemmet/
Floß vber alles Volck/da alles ward verschlemmet/
Vnd da die wilde See biß an die Wolcken trat/
Vnd zu den Sternen selbst sich auffgeschwellet hat/
Ist Noa vnd sein Haus auff diesem Block geschwommen
Beschlossen in ein Holtz/ heraus auch wieder kommen:
Vmbgeben von der Flut/getrieben durch den Sund/
Zwar ausser Menschentrost/ doch inner dem Verbund:

Den du hernach sehr klar mit Abram wolltest machen/
O grosser Menschen freund vnd Richter ihrer Sachen.
Von da an ist der Mensch gewesen allbereit
Dein Wündschen/ deine Lust/ Sinn vnd Ergetzligkeit.
Jehova sey gelobt: du hast auch da begonnen
Zu dencken auff dein Werck/ des Vatters Sinn gewonnen/
Der vber Adams Schuld ergoß des eyffers Meer.
Du bist Emanuel von diesen Zeiten her:
Bist kommen da wir sind/ den Himmel schier vergessen/
Hast Abraham gezeigt das Land so er besessen/
Hast sicher ihn geführt/ geleitet mit der Hand.
Der alte Vatter gieng in vnbekandtes Land/
Durch Glauben nur allein: Hat Isaac gebohren/
Des Segens grossen Stamm/ die Wurtzel dir erkohren:
Von dem kam Israel der starcke kühne Held/
Der Held so wider dich zur wehre sich gestellt:
Gleich wie ein Jüngeling von süsser Brunst entzündet/
Geht seinem Liebe nach: seufftzt wann er sie nicht findet/
Sein Hertz im Leibe bricht: er ist auff sie bedacht
Wann alles lebt bey Tag/ vnd alles schläfft bey Nacht:
Geht vberall ihr nach mit eusserstem Verlangen/
Bewahrt sie/ siht sie an/ von ihrer Huld gefangen:
Sein Augen stehn auff sie: der geist ist ihm beschwert/
Kömpt nimmermehr von ihr biß sie ihm wird gewehrt.
So war es auch mit dir: da Joseph lag begraben/
Vnd dein bedrängtes Volck das Joch getragen haben/
Da hast du sie befreyt: du hast sie für Gefahr
Bewahrt/ geführt/ beschützt biß in die viertzig Jahr:
Verköstet vnd erquickt beschirmt zu allen Seiten/
Sie lassen durch die Flammm' in Wald vnd Büschen leiten.
Mit Wasser aus dem Stein' vnd Brodten aus der Lufft
Das Volck/ das grosse Volck erhalten vnverhofft.

Ja

Ja wieder den Gebrauch/ vnd aller Länder Sitten
Bewiesen deine Gunst. in ihren Leib geschnitten
Der wahren Zukunfft Pfand: gegeben in den Mund/
Wie du noch jetzund thust / den eusserlichen Bund.
Die wüste See gelegt/ die Wässer auffgehangen /
Das Jacobs Kinder gantz sind trucken durchgegangen/
Wie vber festes Land. der Pharao versanck/
Vnd alle seine Macht vnd Reuterey ertranck
Dann Richter eingesetzt/ dann König auserkohren/
Vnd auch den grossen Held von Isai gebohren/
In Ewigkeit gekrönt/ vnd nach ihm Salomon/
Das Volck durch grosse Noth gebracht aus Babylon.
Durch Esdras weisen Raht/ vnd Nehemias wehren/
Jerusalem eweckt/ sich wieder lassen nehren:
Vnd wiederumb das Volck durch Esther Angesicht
Vnd grosse Freundligkeit erquickt vnd auffgericht.
Hast offtmals angesagt du woltest kürtzlich kommen/
Wie du dir vor der Zeit aus Liebe vorgenommen.
Biß daß der grosse Rhat/ so offt vnd viel berührt/
Bezeuget vnd ernandt ward endlich ausgeführt;
Daß der Gott Israel/ der Stiffter aller Sachen
Ihm selbst solt ein Gesetz vmb vnsert willen machen;
Zu werden das wir seyn: vnd daß der Feind der Welt
Würd' in dem schlechten Schein vnd niedrigkeit gefellt.
Die Botten die rund vmb den Himmel allzeit schweben/
Vnd sich zu deinem Dienst ohn vnterlaß begeben/
Sind willig vnd bereit. Der schöne Gabriel
Kömpt von dem Himmel her auff deinen Anbefehl/
Nach Idumea zu berühmet vnter allen/
Der Jüden bestes Land: ist durch die Lufft gefallen/
Hat sich herab gemacht/ durch dem Gebot vnd Rhat/
Bißhin in Nazareth der Galileer Stadt.

Allda die grosse Braut des Himmels war zu finden/
An die er war gesand die Botschafft zu verkünden.
Jhr Hertz war voll von Gott/ sie hielt in jhrer Handt
Sein Wort vnd seinen Bund. der himlische Gesandt
Vnd Herold stund vor jhr; der durch den Weg gezogen
Der vngebähnten Lufft/ kam plötzlich her geflogen/
Gesendet durch den Printz vnd Fürsten/ den niemandt
Als in dem Geist allein vnd Hertzen hat erkandt
Gleich wie der Mensch im Traum wird offtermals was innen/
Schläfft halb vnd wachet halb/ kan doch sich nicht besinnen/
Weis von sich selber nicht/ siht nur was für sich gehn:
So sieht die reine Magd den Jüngling bey jhr stehn.
Sein Haar ist noch betawt/ die Lufft hat jhn befeuchtet/
Vnd des Gewülckes naß; sein Angesichte leuchtet/
Die Wangen sind schneeweiß; wie wann der Sonnen liecht
Zu Abend vntergeht/ vnd wann der Tag anbricht.
So bracht er jhr den Gruß mit Worten voller Machten/
Die Gott (o Wunderwerck!) jhr in den Leichnam brachten.
Biß einen Sohn die Fraw so eine Jungfraw war/
Vnd jhren Vater selbst ein Menschenkind gebahr.
Der vor dem Himmel war/ der See vnd Meer verschantzet/
Der diese weite Welt mit seiner Hand gepflantzet/
Der zierlich auffgeführt den himlischen Pallast/
Der Künstler dieser Welt kömpt wird in jhr jhr Gast.
Der Erbsaß vber das so vberal zu finden/
Der mit dem Blitze spielt/ der ruffen kan den Winden/
Der mit des Donners Macht das gantze Land erschellt/
Vnd biß zu Wurtzel aus die Bäume niderfellt:
Der nicht gebohren ist/ doch vor der Zeit erzeuget/
Ohn Anfang/ Maß vnd Ziel/ vor dem die Welt sich beuget/
Der biß zum Himmel reicht/ der auff den Wolcken reitt/
Jehova ohne Nam beschleußt sich mit der Zeit:

Be-

Beschleußt sich/kömpt zu vns/wird von der Magd empfangen/
Vnd auff die Welt gebracht. sie wachet mit Verlangen/
Sie wartet auff die Zeit/ sie steht in Frewd- vnd Scham/
Verstummet daß Gott wird jhr Sohn vnd Bräutigam.
Der Monde war neunmal mit newgespanten Pferden
Gelauffen vmb vnd vmb den runden Kreis der Erden/
In dem die Jungfraw trug: Augustus groß von Macht
Hatt- vnter sein Gebiet die Juden auch gebracht:
Der diese gantze Welt zum ersten mal verschrieben.
Der fromme Joseph kam zugleich mit seiner Lieben/
Gab seinen Namen auch. der Weiber Kron vnd Zierdt
Maria ward von jhm nach Bethlehem geführt:
Wo Jesse grosser Sohn zuvor auff grüner Heiden
Noch schlecht vnd vnbekandt die Schafe müssen weiden:
Biß daß der Himmel jhm vor seinen Hirtenstab /
Der Scepter vnd die Kron der Ewigkeiten gab.
Allda er zuvorhin von Gottes Geist gezwungen/
In seinem Geist' entzünd/ manch schönes Lied gesungen
Von dem der jetzund kömpt: der König vnd der Hirt
Der selber nun ein Mensch vor alle Menschen wird.
So kommen sie dahin. die Sonne war gereiset/
Biß daß sie stille steht/ vnd jetzt zu rücke weiset
Die Pferde nach vns zu: da Capricornus Häupt
Den angenehmen Tag vnd schöne Liecht wegraubt.
